

„piumtur, dum putant se præcepto Ecclesiæ apud Regula-
res satisfacere posse, non licebit Patribus Recollectis intra
quindenam Paschalem Venerabile publice in sua Ecclesia
exponere, nec etiam privatim Sacram Synaxim admini-
strare, nisi illis, quos constabit prævidere in Parochia satisfe-
cisse. Sicut nec ægrois privatim & in occulto, neque pu-
blice, nisi de consensu Pastoris, & eo impedito Sacram Sy-
naxim deferre poterunt.

Eodem Concordato plura continentur, quibus jura pa-
rochialia tam circa sepulturas Parochianorum, & officia &
jura funeralia, quam processiones conservantur, de quibus
suo loco dicetur.

Cumque super observantia hujus concordati quæstio
orta esset inter Pastorem dictæ civitatis & Patres Minores
Recollectas, per sententiam Vicariatus Brugensis vacante
Sede Episcopali 6. Octob. 1683. mandatum & injunctum
fuit dictis Patribus, ut præcisè & punctualiter præfatum ip-
forum concordatum, & contractum admissionis observent;
nec non virtute illius inhibitionis ipsis, ne Missam celebrent
diebus Dominicis & Festis ab octava usque ad undecimam,
etiam si in Ecclesia Parochiali nullum officium fiat; nisi casu
peregrini aut adventantes eo venirent, cum ii absque præ-
vio pulsū tum excipiantur.

XVIII. Frequens quoque modificatio adjicitur, præ-
sertim admissioni Ordinum Mendicantium, circa nume-
rum Fratrum recipiendorum, vel etiam modum & limites
quæstionandi; item quantitatem bonorum acquirendorum.

Sic Parlamentum Rothomagensis admittens Fratres Mi-
nores vulgo *Recollectas* Gasconum, quæstionandi facultatem
restrinxit ad ipsam civitatem ejusque suburbium *Fevret*.
Tract. De abus. l. 2. c. 1.

In admissione PP. Minorum S. Francisci ad civitatem &
territorium Turnhoutanum Diocesis Antverpiensis, cau-
tum fuit, ut numerus eorum tantum 3. aut 9. esset; quod-
que tantum esset eorum Conventus quasi quoddam refu-
gium cui dumtaxat præfesset *Vicarius* à Guardiano Heren-
talem omnino dependens; ipsique Fratres nullatenus essent
oneri ipsi Communitati, neque Ecclesiæ Parochiali in ali-
quo præjudicarent; quin & sua divina Officia peragere de-
berent in Ecclesia Parochiali; neque ipsi Capellam, multo
minus Ecclesiam habere possent; sed ad summum altare
portatile usque ad revocationem. Ut latius exprimunt Acta
admissionis die 23. Januarii 1652.

Senatus Burgundiæ anno 1610. in conformitatem littera-
rum Regis, consensu Episcopi Cathalonensis, & Magistrat-
us ac Incolarum Civitatis, admittit Fratres Montis Carmeli
ad civitatem Cathalonensem sub expressa conditione, quod
quæstionare non possent, ut refert *Fevretius* loco citato.

XIX. Parlamentum Divionense admittens litteras Re-
gias obtentas per *Utilinas* Cabilonenses in Martio an. 1620.
& ut in conformitatem earum construeretur Conventus
Utilinarum in dicta civitate ad instructionem & eruditio-
nem puellarum, has condiciones adjecit; quod Conventus
construi non posset in veteri civitatis parte, neque ipsæ Ur-
silinæ mendicare possent; quod prius quam domicilium fige-
rent, ostenderent ipsi Magistratui Civitatis, quod haberent
in capitalibus quinque millia librarum Gallicarum. Non
possent recipere in suum conventum puellas habentes pa-
trem & matrem sine horum consensu; neque puellas paren-
tibus orbatas sine consensu Tutorum vel Curatorum:
Quodque nulla harum puellarum habentium liberam re-
rum suarum dispositionem, si habeat 12. millia librarum,
possit dare Conventui plus quam tria millia, & si minus
quam 12. millia librarum Gallicarum in bonis habeat, ne-
queat dare ultra quartam partem; idque dumtaxat quous-
que dictus Conventus fuerit constructus, & dotatus usque
ad 4. millia florenorum; quo casu nihil poterunt à puellis
accipere præter pensionem aliquam vitalitiam morte eam-
rum extinguendam.

Ita refert *Carolus Fevretius* loco citato; qui testatur in

particularibus casibus conformiter ad jam dictum Arrestum
non semel judicatum fuisse.

XX. Si quis Regularium utriusque sexus admissiones
scrutari velit, reperiet, tum in litteris Regis, tum etiam in
concordatis cum Capitulis, Magistratibus, & Parochialium
Ecclesiarum Curatis & Magistris initis, similes passim condi-
tiones & modificationes fuisse additas; at illas experientia
docet, lapsu temporis, conditiones & modificationes negli-
gi; atque ex illo neglectu incommoda, quibus per illas
restrictiones occurrere posse credebatur, plura indes otiri, in
grave sæpe populi atque Ecclesiarum, præsertim Parochia-
lium gravamen & nocumentum; adeo ut non raro factus ef-
set, novorum Conventuum extruccionem non admittente,
quàm hujusmodi modificationibus, & conditionibus, con-
cordatisque, futuris incommodis velle occurrere.

XXI. Ad hæc in admissione novorum Conventuum
merito attenditur, num in ordine illo Regularis disciplina
sit integra; an verò non ita collapsa, ut nisi prius in suum
primævum statum restituantur, potius expediret numerum
Conventuum atque Religiosorum diminui, quàm multi-
plicari.

XXII. Ita Sacra Congregatio sub Urbano VIII. die
14. Junii 1628. & die sequenti Fratrum Minorum de ob-
servantia S. Francisci familia Cisterciensium consultationibus
præposita, volens, quantum potest in Domino ipsorum po-
stulatis satisfacere circa Novitios ad habitum & professio-
nem admittendos; Sanctitate suâ approbante, censuit, tunc
demum esse illis permitendum, ut Novitios recipiant, cum
constiterit ex ipsorum Conventibus eos fuisse *abusus*
omnes, qui Regula S. Francisci observantiam advertebant,
Fagnanus ad Cap. NIMIS PRAVA De Excess. Pralat. m.
ss. subjiciens ibidem abusus, quos S. Congregatio emenda-
tos volebat.

Memini rursus ejusdem resolutionis idem *Fagnanus* ad
Cap. CUM VIRUM De Regularib. num. 50. Addiditque,
ab eadem Congregatione decretum fuisse, „ut Fratribus
ad certum numerum decedentibus, illorum Conventus
traderebantur Fratribus *Reformatis* seu *strictioris* obser-
vantia ejusdem Ordinis, à quibus tantum reciperentur
Novitii. „Et in hujusmodi prohibitione multos annos per-
duratum est. „Et utinam, ait *Fagnanus*, paulò diutius perse-
veratum fuisset: nam ubi numerus fratrum reformationis
multum excrevisset, pauci in familia superfluitates deposta
jam spe vestiendi Novitios, & majores dignitates, asse-
quendi, facile ad reformationem transissent. Atque ita
nulla esset in Religione divisio, vel scissura, sed tota ad
primam institutum, & regulam puritatem redacta fuisset.
Verùm fratribus reformationem pollicentibus, tandem
oportuit illis ad vestiendos Novitios aditum aperire. Do-
cuerunt enim ordinariorum attestacionibus, se adimple-
visse condiciones sibi præscriptas, & legatis annuis in Cu-
riis Episcopalis solemniter renuntiasse. Et sic tributa fuit
illis licentia vestiendi usque ad certum numerum in singu-
lis provinciis præfinitum. Nobis tamen quantum per mo-
destiam licuit *semper reluctansibus*.

Memini etiam, pergit ibidem *Fagnanus*, Regem Chri-
stianissimum superioribus annis supplicasse S. D. N. ut
in regno Galliarum de cætero non vestirentur Novitii nisi in
Religionibus in quibus *verè* servatur regularis discipli-
na juxta primævum institutum: quod tamen et si sanctissi-
mum foret, nihilominus magnopere hæsitatum est, ne pro-
hibito tam generalis magnos motus excitaret, ita ut
diu postea sustineri non posset, cum tamen factus sit legem
non condere, quam conditam protinus abrogare. Multo
securius & fructuosius hæc præstari possent in generali
Concilio, quemadmodum factum legimus in Concilio
Lugdunensi sub Gregorio X. ut patet ex *Cap. UNICO De*
Relig. Dominibus lib. 6.

TITULUS XXV.

De Admissione ad Religionem & Novitiatu.

CAPUT I.

Qualiter probandus admittendus ad Religionem?

1. Multum nocet disciplina Regulari præceptis & incon- siderata admissio ad Religionem. *(circa.)*
2. Nec tantum Religioni, sed & ipsi intrantibus est no- xia.
3. Quam probationem requirit Regula Benedictina?
4. Similem requirit Clemens VIII.
5. Quanto tempore & circa qua postulans examinari debeat priusquam ei impressus annuatur.
6. Postulans aliquo tempore in Cella Hospitii probandus.
7. Hi probandi modi an semper adhibendi?
8. Semper diligenter probandus.



Ubi collabentis collapsæque Monasticæ
discipline causas propius atenderit,
haud difficulter intellet, unam è præci-
pui esse, præcipitem ac improvidam ad
Religionem admissionem.

Hinc quippe contingit, ut inepti, at-
que Religionis Monasticæ spiritu vacui, imo mundi adhuc
spiritu turgidi in Monasteria irrepant, qui tum reliquos in-
ficiant; tumque omnem Monasticam disciplinam ener-
vent; quin & evertant.

II. Neque ipsi Ordini dumtaxat nocet hæc indiscreta &
præcepta ad Religionem receptio, sed ipsis quoque ita ad-
missis periculosa est, & plurimum nociva esse solet.

Dum enim sine serio examine discussioneque admittun-
tur, sit ut sibi ipsis haud sat cogniti, neque de vita Religiosa
satis instructi, eam vivendi institutionem amplectantur, ad
quam postea experiuntur, se revera à Deo vocatos non fuisse;
neque eas animi corporisque dotes & qualitates habere,
quæ huic vitæ instituto ritè obeundo sunt necessariae, dum
interim votorum suorum vinculis ad eam vivendi rationem
constituti, in eo vitæ instituto, non raro maximo cum renisu
ac salutis periculo continuare tenentur. Quæ inde anxietas,
gemitus, & pejora ex illis resultantia incommoda sequan-
tur, quotidiana experientia nimium probat.

Mirum ergo videri nequaquam debet, si prima Patrum
cura semper fuerit, ut super vocatione, moribus, animi cor-
porisque dotes ad Religionem admitti postulantium se-
rium examen institueretur.

III. „Noviter veniens quis ad Religionem (ait S. Bene-
dictus *cap. 58. S. Regula*) non ei facile tribuatur ingres-
sus, sed ut ait *Apostolus*: *Probate spiritum si ex Deo est*.
Id est, utrum spiritus, quoad vitam religiosam amplecten-
dam ducitur, verè ex Deo sit: utrum ad Religionem impel-
latur, ut Deo liberius serviat; suamque salutem securius o-
peretur; an non potius alicujus temporalis commodi ad-
piscendi, aut incommodi evitandi motivo impellatur; nihil-
que humani respectus sese immisceat.

IV. Sancti Benedicti tot Monachorum Patris vestigia
prementis Clemens VIII. in Decretis pro Novitiorum re-
ceptione §. 23. mandat, ut „Superiores *diligenter inqui-
rant*, quo spiritu, qua mente ac voluntate id Regularis vi-
tæ genus elegerint, quem sibi finem proposuerint, num
zelo melioris frugis, ac perfectioris vitæ, & ut Deo libe-
rius famulari possint, an potius levitate, vel humano ali-
quo affectu, aut inordinato animi motu ducantur. „In Bul-
lario *R. parte 3. pag. 128.* dixerat jam ante §. 19. ipse
Clemens, compertum esse; „nihil ad gravem illam ac lau-
dabilissimam præcorum Patrum vivendi rationem rela-
tam, majorem vim habuisse, quam vel nimiam in
recipiendis Novitiis facilitatem supra numeram quem
Van Espen Jur. Eccl. P. 1.

capere atque alere monasteria ipsa possent; vel *negligen-
tiam in probando & examinando* eorum spiritu, an
verè esset ex Deo, atque ex præcipuo desiderio illi in-
serviendi; vel denique incuriam in eis educandis atque in-
stituendis.

De modo & tempore, quo hoc examen institui de-
beat, non una fuit omnium Patrum & temporum disci-
plina.

V. Sanctus Benedictus post citata verba modum &
tempus probationis subiungens ait: „Ergo si veniens per-
severaverit pulsans, & illatas sibi injurias & difficultates
ingressus, post quatuor aut quinque dies vilis fuerit pa-
tienter portare, & persistere petitioni suæ, annuatur ei in-
gressus.

Primum ergo examen institui vult S. Benedictus super
vocatione postulantis ingressum per illius humilitatem; ut
ex illa appareat, num aliquousque in spiritu humilitatis pro-
fecerit; ac se ut reum seu penitentem & vilem tractari &
despici sustinere possit: quæ dispositio ad statum Monasti-
cum, qui status est humilitatis & penitentia, cum primis
necessaria est. Unde & in omnium Patrum regulis, su-
per hoc spiritu humilitatis primum examen institui man-
datur.

VI. Post hoc examen annuatur quidem ei ex præscri-
pto Regulae Benedictinae *ingressus*; sed, at nequaquam ad Cel-
lam *Novitiorum*; sed, ait Regula, *fit in cella hospitum pan-
cis diebus*.

Hic erat quasi secundum postulantium examen. Quid
verò facere deberet *noviter* veniens in cella hospitum, S.
Benedictus non declarat; sed id ex aliorum Regulis facile
eruitur.

Auctor Regulae Tarnatensis habet: „Uni de Seniori-
bus deputatus tam diu jubeatur adveniens deservi-
re, quousque devotio ejus fuerit patientia teste mon-
strata. „Et S. Fructuosus *cap. 21.* „Hospitibus, sive pere-
grinis stramina comportabit, aquam pedibus lavandis ca-
lescens.

Hæc ergo in cella hospitum mora instituta videtur, ut
interim in mores & actiones ipsius noviter venientis adver-
teretur; atque hinc major de ejus spiritu ac vocatione cer-
titudinem haberi possit. Unde S. Isidorus *cap. 4. Regula* ait:
„*Vitam* enim uniuscujusque in *hospitalitatis* servitio tri-
bus mensibus *considerari* oportet: quibus peractis ad cœ-
tam sanctæ Congregationis accedere. Neque enim suscipi-
intus quemquam convenit, nisi prius foris positus ejus *hu-
militas* sive patientia probetur.

Verbo, hujus ac præcedentis examinis probationis scopus
est, ut noviter venientium spiritus, ac vita aliquousque sit
perspecta, priusquam ad Congregationem, ac intra Mona-
sterium eum novitiis admittantur.

VII. Proinde non sine fundamento jam pridem susti-
nuit Petrus Venerabilis Abbas Cluniacensis, S. Benedi-
ctum hoc suæ Regulae præscripto, solam præcipitem ac tem-
erariam postulantium admissionem improbare; neque
vetare alicujus ad Religionem, sine hujus ritus observan-
tia, admissionem; si modo fat de ejus vocatione constet, & ad-
missionem salutem ejus conducere sat appareat. *Lib. 1. epist. 28.*

VIII. Quare S. Basiliius multa circa examen recipiendos
rum disserens, omnia ad unum hoc reducit; quod oporteat
inquirere de præterita vita & conversatione: *ne forte simu-
lata quis mente, & fallaci animo ad Religionem accedat*.
In regulis *fuf. disp. Interrog. 10.*

His consonant Patrum Eremitarum S. Augustini Con-
stitutiones *parte 2. cap. 2.* „Si quis in Ordine nostro
R. „reci-

recipi petierit, non statim annuat ei quicumque sit ille, sed probetur Spiritus ejus si ex Deo est, quia desideria, dilatione cecidit: & in privatis colloquiis voluntas, mens, & intentio ipsius a Priore Conventus, vel a Magistro Novitiorum seu ab alio perfecte exploretur, quod si perseveraverit in proposito, Prior eum faciat diligenter examinari a duobus examinadoribus ad hoc munus deputatis.

CAPUT II.

De Novitiatu.

- 1 Postulans ad Religionem satis probatus admittitur ad Cellam Novitiorum.
- 2 Hujus Cella frequens mentio in Regulis Patrum.
- 3 Erat separata a Reliquorum Religiosorum habitaculo; & quare?
- 4 Separationem Novitiorum a reliquis Fratribus Professis multum urge: Clemens VIII.
- 5 Novitius praeficiendus aliquis Senior, qui hodie dicitur Magister Novitiorum.
- 6 Qualis eligendus in Magistrum Novitiorum? Et circa qua praecipue debeat esse sollicitus?
- 7 Quid circa Magistrum Novitiorum statuerit Clemens VIII.
- 8 Novitio diligenter exponenda Regula & obligationes Monastica.
- 9 Idipsum enixe commendant Synodi Belgica.
- 10 Ex Decreto Clementis VIII. etiam Fratres Conversi de omnibus rite instruendi.
- 11 Novitius persuadendum, esse vivendum secundum Regulam non autem juxta normam vivendi multorum.
- 12 Quid cum in finem statuerit Innocentius XII.
- 13 Tempus Novitiatu non ubique fuit uniforme.
- 14 Jure Decretalium poterant Abbates tempus Novitiatu praefixum ex causa abbreviare.
- 15 Ob excessus in hac abbreviatione commissos multis Decretis opus fuit, quibus Fratres Mendicantes illud debent.
- 16 Contra praecipitum Novitiorum Mendicantium admissionem plures edita Decretales; & efficacissime illi occurrit Synodus Tridentina.
- 17 Synodus Tridentina sequuta Regulam Benedictinam tempus Novitiatu esse voluit annale.
- 18 Professionem ante tempus Novitiatu expletum declaravit absolute nullam; & substatuque Decisionem Cap. 2. & 3. De Regularibus in VI.
- 19 Nec renuntiatio Novitii, nec consensus Monasterii Professionem anticipatam reddere possunt validam.
- 20 Annus Novitiatu debet esse integer.
- 21 Requiritur annus continuus.
- 22 Qua interruptio anni Novitiatu reddat Professionem nullam incertum apparet.
- 23 An qui extra Monasterium aliqua parte anni mansit de licentia Superioris, possit valide profiteri sine novo Novitiatu?
- 24 Si ex speciali Statuto Ordinis prolixius quam annale tempus pro Novitiatu requiratur, huic Synodus Tridentina non derogavit; facta tamen ante tempus ex Statuto praescriptum Professio est invalida.
- 25 Qui anno novitiatu expleto Monasterium deserit, reversus valide sine novo Novitiatu profiteri potest.

Iostquam postulans rite examinatus ac discussus sufficientia signa vocationis dedit, ad Novitiatum; juxta S. Benedicti aliorumque Patrum Regulam recipiendus est. Postea autem sit, inquit Benedictus, in cella Novitiorum, ubi meditetur, & manducet, & dormiat.

II. Hujus cella Novitiorum meminere & aliae Patrum Regulae. Ferreoli Regula Cap. 5. de tempore probationis seu novitiatu tractans ait, „Piscinam tamen Monasterio cellam, dum praenotatum tempus obervat, accipiat. Victum, quae quotidianum a Monasterio, si inter reliquos operetur, expectet, lectioni ante omnia & orationi dans operam. Sanctus Fructuosus Cap. 21. Regulae haec habet, „Neque interna Fratrum diverforia accedet, sed delegata in exteriore, re curte cella pertinetur.

III. Manifestum ergo est, jam pridem ex praescripto Regularum, Novitios ab aliis Fratribus fuisse separatos; „Neque (ait Hugo Menardus ad cap. 65. §. 1. Concord. Regal.) quae in Monasterio geruntur in eorum notitiam veniant, & discedentes ea saecularibus revelarent. Id etiam eorum tranquillitati maxime congruum erat; ut ab omni consortio se juncti, facilius contemplationi & vitiorum exurpationi studerent.

IV. Hanc Novitiorum a ceteris Fratribus separationem multum urget & obervari praecipit Clemens VIII. in citatis Decretis §. 26. „Quod vero ad loci qualitatem uniuscujusque Novitiatu spectat, ait, locus hujusmodi propria clausura ab ea parte Conventus & Monasterii in qua degunt, professi, segregatus sit; atque distinctus; habeatque tot ad dormiendum cellulas separatas, quot erunt numero Novitii, vel dormitorium ita capax, ut pro singulis singuli lectuli commode sterna possint; in quo etiam cellula, vel certus ac determinatus locus pro Magistro, ejusque socio reperitur. In eo etiam praeter alias communes commoditates, aptus locus adit ad spirituales collationes seu conferentias faciendas, ac lectiones, instructionesque Magistri audiendas, & in quem hiemis tempore ad calefaciendum se igne communi recipiant. Oratorium insuper seu Capella, si commode fieri poterit, ad Novitios in spiritualibus praesertim in caeremoniis, Ecclesiasticisque functionibus exercendos. Hortus quoque peculiaris ad honestam recreationem, bene conclusus atque munitus adit; si minus, hortum ceteris Fratribus communem recreationis tempore ingrediantur. Ipsi vero Novitii ibi commorantibus, curabit Magister cum loci Superioris autoritate, (si opus fuerit) ne in eundem quilibet alius ingrediat. Ad hujusmodi locum Novitiatu nemini, ejusdem vel alterius Ordinis Regulari etiam Conventus & Monasterii Officiali, ullo unquam tempore sub quovis praetextu aditus pateat, praeterquam Magistro, ejusque Socio, ac etiam Monasterii aut Conventus Superiori, si quando cumque ingrediendum sibi necessitudo existimaverit; quo tamen casu aliquem semper ex senioribus Conventus vel Monasterii Patribus socium assumat. Hujus loci clausurae clavis apud Magistrum semper asservetur, illique soli liceat ex gravi tantum causa ingressum illuc alicui permittere; si quis autem Novitiorum quempiam alloqui voluerit, Magistro praesente, & non aliter alloquatur.

V. Subjicit deinde S. Benedictus: „Et Senior ei talis deputetur, qui aptus sit ad lucrandas animas, qui super eum curiosè omnino intendat, & sollicitus sit, si revera Deum quaerit, si sollicitus sit ad opus Dei, ad obedientiam, ad obprobria.

Senior, cujus hic meminit Benedictus, est ille, qui hodie appellatur Magister Novitiorum. An autem singulis Novitiis Seniores dandi sint, non expressit Benedictus. „Nec puto, ait Menardus, hanc esse mentem S. Benedicti, qui verè sequitur Aegyptiorum Monachorum normam, juxta quam uni Seniori decem juniores dantur instituendi, ut constat ex Cassiano Lib. 4. De Inst. cap. 7. „Quod & moderna disciplinae Monasticae est conforme, quae uni plerumque Magistro plures Novitios committit.

VI. Requirit Benedictus, ut pro Novitiis instituentis eligatur Senior aliquis, id est, in exercitiis Monasticis bene exercitatus, qui verbo & exemplo Novitium instruere sit idoneus; qui insuper aptus sit ad lucrandas animas; hoc est, aptus ad imprimendum Novitio contemptum

tum mundi, & rerum temporalium, cujus inspirandum a morem rerum caelestium, nec non magnam idem eorum, quae mundus despiciere solet.

Posthaec, qui curiosè omnino intendat, & sollicitus, sit, si Novitius revera Deum quaerat: id est, num in exercitiis Religionis, ac ipsa vitae Monasticae electione unice Deum quaerat, utrum nulla humana consideratio se immisceat, quae ipsum ad hoc vitae genus eligendum impellat. Denique sollicitè attendat, num ita Novitius in omnibus se gerat, ut merito ac cum fundamento judicari possit, ipsum ad Religionem a Deo esse vocatum. Quae sat ostendunt, quantà prudentia non carnis, sed Spiritus in Magistro Novitiorum opus sit.

Merito ergo Patres Eremitae S. Augustini decreverunt, in Magistrum Novitiorum eligi Fratrem honestum, ac probatum, & sui Ordinis praecipuum Zelatorem professum, & aetatis, quantum fieri poterit, à quo ad Dei laudem & Ordinis decorem cum omni sanctimonia & bona doctrina diligenter erudiantur & instruantur.

VII. Clemens VIII. in Constitutione sua de recipiendis Novitiis, haec de Magistro Novitiorum & ejus Socio habet §. 27. „Ipse Magister Sacrodotali Ordine sit initiatus, ac in quinto saltem supra trigessimam aetatis suae anno constitutus, & per decennium à professione emissà in Religione persistit. Socius verò trigessimum annum excedat, sintque ambo doctrinà & quantum per Superiorum diligentiam & vires fieri poterit, vita etiam ante aetate exemplo praestantes, orationis praeterea & mortificationis operibus addicti, prudentia charitateque refferri, non sine assiduitate graves, zelum Dei cum mansuetudine praesertim tes, ab omni cordis & animi perturbatione, ita praesertim & indignatione, quae in se & erga alios charitatem impedire contulerunt, quam longissimè alieni, & tales demum qui in omnibus seipos bonorum operum exemplum praebant, ut ii qui eorum curae subsumunt, illos non tam metuant quam reverentur, nec illis unquam detrudere quidquam possint.

VIII. Prosequitur Regula Benedictina citato cap. 58. Praedictur ei omnia dura & aspera, per quae itur ad Deum. Si promiserit de stabilitate suae perseverantia, post duorum mensium circulum legatur ei haec Regula per ordinem, & dicatur ei: Ecce lex sub qua militare vis; si potes observare, ingredere; si verò non potes, liber discede. Si adhuc steterit, tunc ducatur in supradictam cellam Novitiorum & iterum probatur in omni patientia. Et post sex mensium circulum legatur ei Regula: ut sciat ad quod ingreditur. Et si adhuc staret, post quatuor menses iterum legatur ei eadem Regula. Et si habità secum deliberatione promiserit omnia custodire, & cuncta sibi imperata servare, tunc suscipiatur in Congregatione, sciens se jam sub lege Regulae constitutum, quod ei ex illa die non liceat egredi de Monasterio, nec collum excutere de sub jago Regulae, quam sub tam morosa deliberatione licuit, aut reculare, aut suscipere.

Unicus in his omnibus scopus S. Benedicti fuit, ut Novitius exactè de Regula reliquisque vitae Monasticae exercitiis & obligationibus instrueretur; nihilque leviter ac inconsideratè arripit, ejusque animi ac spiritus in his omnibus constantia bene probetur.

Et quia ab hoc puncto totius disciplinae Regularis recta observantia, atque ipsorum etiam Novitiorum salus plerumque dependet, ideo observantiam illius non tantum praeconum Patrum Regularum, sed & recentiorum Ordinum Constitutiones, & Synodorum Decreta utserunt.

IX. Synodus Cameracensis P. I. Tit. De Monasteriis cap. 14. „Mandat omnibus Monasteriorum Superioribus, ut Regula ac Statutorum Monasterii, in quo juvenes cupiunt profiteri, lectio & explicatio eidem Novitiis fiat: ne imprudentius voveant; si ipsis minus constet, ad quid se per professionem obligent.

Novitiorum diligent institutio fiat (inquit Synodus Van Espen Jur. Eccl. P. I.

Audomarenis) neque solum Ecclesiae officium, sed & professionem ipsam ac Religionis vota & Regulam, nec non Monasterii Statuta doceantur, probeque ea intelligant, ac in eis exercentur, priusquam ea profiteri aut vovere sinantur. Tit. 17. c. 4. Idem mandat Synodus Mech. D. tit. 22. cap. 5.

X. Quin praecipit Clemens VIII. in jam saepius citata Constitutione, ut omnes etiam Conversi recipiendi de omnibus praedictis, priusquam ad habitum Regularem admittantur, ab iis quibus munus illud incumbit, diligenter instruantur.

XI. Verum frustranea erit, quod & passim experientia docet, Regulae Statutorumque praescriptio; atque rigida etiam votorum explanatio, nisi una persuadeatur Novitiis, vivendum esse juxta praescriptum Regulae & Statutorum prout sonant; tamen forsitan vita multorum non sit conformis: neque ipsis attendendum esse, quid passim alicujus Ordinis aut Monasterii Religiosi faciant, sed quid Regula Statutaque praescribant; & ad quid ipsa Religiosa professio Religiosos obliget. Ni enim haec Novitiis fortiter imprimantur, facile fiet, ut quantumvis aspera ac difficilia in Regula ac Statutis contineri audiant; illa credant tamen cum commoda ac mundana vita componi posse; dum videt Religiosos eandem regulam ac statuta professos similem vitam ducere.

XII. Ut verò Novitii ac recenter Professi haberent ob oculos exacte Regularis disciplinae exemplar, quo ipsi efficacius ad illam incitarentur, modernus Pontifex Innocentius XII. ex sententia Congregationis Cardinalium specialiter super reformatione Regularium instituit, edito Decreto 18. Julii 1695. praecipit singulorum Ordinum Regularium Superioribus, ut in unaquaque Provincia per Italiam & Insulas adjacentes, quamprimum deputent aliquos Conventus, quos magis aptos censuerint, vel unum saltem, ibique autoritate Apostolica statuam omnimodam observantiam Regulae, Constitutionum uniuscujusque Ordinis, & Decretorum Apostolicorum, praecipue verò exactae Vitae Communis ad formam eorumdem Decretorum ab omnibus Religiosis, qui in Conventibus, ubi recipiendi Novitii, & Professi educandi sunt, morabuntur, omnino servandae.

Quae omnia, quo facilius, efficacius & durabilius ad praxim deduci valeant, in virtute S. Obedientiae eisdem Superioribus praecipitur, ut in supradictis conventibus non collocent, nisi Religiosos graves, devotos, exemplares, regularis observantiae, & puritatis regulae studiosos, orationi praesertim, ac mortificationi, sine quibus non potest Religiosa vita consistere, addictos, quique consentiant exacte servare vitam Communem, atque inde amoveant eos omnes, qui tam Sanctae Ordinationi contradicere, seu verbis, aut factis quoquomodo sese opponere audeant.

XIII. Anno integro Novitium probandum esse, Regula Benedictina supponit. Antiquorum Monachorum, praesertim Aegyptiorum regulae ad triennium Novitiatum passim produxerunt: quas sequutus Imperator Justinianus sancivit, ut accedentes ad vitam Monasticam per triennium in veste laica manerent, divina addiscentes eloquia; & ut reverendissimi eorum Abbates requirant eos, undè eis desiderium vitae singularis accesserit: & discentes ab eis, quod nulla maligna occasio ad hoc eos adduxit, habeant eos inter eos, qui adhuc docentur, & monentur: & experimento percipiant eorum tolerantiam & honestatem: Non enim facilis est vitae mutatio, inquit, sed cum anima sic labore. Novella 5. cap. 2.

XIV. Verum cum tempus illud annum aut triennale unice spectare videretur, ut & Novitii rite de vita Monastica essent instructi, & Monasterium de Novitio capisset experimentum, nullatenus ad substantiam professionis pertinere visum fuit; quod multis jam pridem probavit Petrus Venerabilis Cluniacensis Abbas Lib. 1.